

ambiatur: ut videlicet voces praedicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est: ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine praedicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere? Propheta attestante qui ait: sacerdotes tui induantur justitiam. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhaerent, ut vitae viam cum linguae sonitu ipsa quoque sacerdotis opera clament. Sed cum Rector se ad loquendum praeparat, sub quanto cautelae studio loquatur, attendat: ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: et cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compaginem insipienter abscidat. Hinc namque Veritas dicit: habete sal in vobis, et pacem habete inter vos. Per sal quippe, verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hinc in sacerdotis ueste juxta divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico, uno exterius cortice multa interius grana muniuntur: sic innumeros sanctae Ecclesiae populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Ne igitur Rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam praemisisimus, per semeptisam Veritas discipulis clamat: habete sal in vobis, et pacem habete inter vos. Ac si figurate per habitum sacerdotis dicat: mala punica tintinnabulis jungite, ut per omne quod dicitis, unitatem fidei cauta observatione teneatis. Providendum quoque est sollicita intentione Rectoribus, ut ab eis non solum pra-